Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2295
Quelle:
Copyright:

de cum deuocione assistere debetis contra amedistas. &c. Praesulem aliquem Germanum ex praecipuis adloqui videtur, idque circa tempus Conventus *Francoford.* 1442. Scriptum est cum primis Historiae serviens, eoque tendit, ut *Neutralitas* tollatur e parte Germanorum.

XXII. *fol.* 361. p. 2. *Effectus Bragmatice sanctionis per Ecclesiam gallicanam Rege presidente octaua Julij 1438. Bituris* &c. Sanctio haec pragmatica in Conventu *Bituricensi* a *Carolo* VII. stabilita legitur in *Labb. Concill. Collect.* T. XVII. *col.* 1365. unde quin que Puncta nostra depromta sunt.

XXIII. *fol.* 362. *Tractatus domini Johannis de Gersona Cancellarij parysiensis de Scismate.* E pluribus unus, qui incipit: *Ad tollendam quorundam in scismate presenti pertinaciam* &c. et legitur edit. saepe *cit.* T. II. P. 1. *col.* 3. Deest in Codice, qui finitur: *consequenter loquendo est potestas deuoluta*, illud *quartum* Documentum, quod e *Codd. mss*, adjunxisse se ajunt Editores; sed versus tertius e 4. subjectis, utut peccans, rectius apud nos legi videtur:

Pastor eterne Deus grex balat ad te reus.

XXIV. *fol.* 369. *Responsio Magistri Jo.* (cognomen extritum) *sacre pagine Professoris parisien. Rome 1319. pontif. Johannis 22. anno 4°. summittens iuditio Romane sedis dicta. Johannes* is est *de Poliaco* celeber e disciplina *Guil. Sanctamorii* FF. Mendicantium osor, qui inter alia in illum regerebant Doctrinam, quod Episcopi et Parochi potestatem suam immediate haberent a Christo. Narrant hoc. *Bulaeus* et *Oudinus*; neuter tamen addit, quo nixi fundamento Fratres id fecerint. Atque en fundamentum; nam ita incipit ejus Responsio: *Christus Apostolis XII. et discipulis 72. quos immediate instituit, potestatem immediate dedit, et potestas eis data communicata est in Episcopis, qui succedunt Apostolis et in curatis, qui succedunt discipulis, et ideo isti et illi habent a christo immediate potestatem.* &c. An tamen haec *Romae*, ut praescripsit Librarius, facta fit, dubito. Mallem *Avenione.*

XXV. *fol.* 378. *Dominus* (Nicol. Tudescus Sicul. Archiep.) *Panormitanus in dieta frankfordien.* Missus erat ad hunc Conventum, qui, ut notum, nihil conclusit, Orator *Amadei*, sive *Felicis* V. a quo creatus fuerat Cardinalis. Sermonem ibi longum habuit, eoque contendit: a *Basileensibus* legitime repraesentari Ecclesiam, adfuisse iis potestatem deponendi *Eugenium*, adfuisse et depositionis caussas. Sermo ipse typis vulgatus extat, et adjacet mihi Editio *Lugd.* char. goth. *s. a.* 8. Aliam ejusdem loci, sed a. 1518. uti et Versionem gallicam *Gerbasii Paris.* 1697. memorat